

Wa. 100.



10.





22

I. N. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

JUDICE COMPE-
TENTE EX CAUSÆ
CONTINENTIA,

Quam

EX DECRETO

Nobilissimi JurisConsultorum Ordinis in almâ Salanâ,

PRÆSIDENTE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. ERNESTO FRI-
DERICO SCHRÖTERO, J. U. D.

Hæreditario in Wickerstett/ Prof. Pandectarum Publ. celebra-
tissimo, Consiliario Saxonico eminentissimo, Curia Provincialis,
Scabinatûs, & Facultatis Juridicæ Assessore gravissimo,

Patrono ac Promotore suo æviternum colendo,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure honores ritè capeffendi,

publicæ disquisitioni subjicit

JOHANNES GEORGIUS GASTELL

FRANCKENBERGA MISN.

Ad. Novembr.


H. Lq. C.

Typis SAMUELIS KREBSII,

ANNO M D C L X I

Wa. 100.





*SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,*

**D N. IOHANNI
GEORGIO SECUNDO,
DUCI SAXONIÆ, JULIÆ,
CLIVIÆ AC MONTIUM, SACRI
ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHAL-
LO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,
BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI
MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNA-
STÆ RAVENSTEINII, &c.**

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Disputationem hanc inauguralem

subjectissimâ animi devotione

DEDICAT ET OFFERT

JOHANNES GEORGIUS GASTELL,

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**



Nulli prorsus audientiam se præbere velle, L. B. qui dividit causæ continentiam, dicit Imperator Constantinus in *l. 10. C. de Judic.* Unde & sæpius accidit, ut Judex aliquis habeat cognitionem causæ alicujus, quam non haberet, si regula non dividendæ causæ continentia non obstaret; Cùm itaque pauci hætenus scripserint de hæc peculiari fori competentia, ideò operæ pretium esse ratus sum, paucula de hæc causæ continentia, quatenus operatur peculiare forum, conscribere, & nomine dissertationis inauguralis edere.

THESIS I.

Agnoscat autem aliquis forum competentis septem ex causis (a) 1. Ratione domicilii. (b) 2. ratione contractus (c) vel quasi (d) 3. ratione delicti (e) 4. ratione rei sitæ (f) 5. ratione causæ qualificatæ (g) 6. ratione juris ac privilegii singularis (h) 7. ratione continentia causæ (i)

Ex Jæticis.

(a) Quidam pauciores competentis fori causas constituunt, quidam plures, inter illos est *Zangerus d. Except p. 2. cap. 1. n. 8.* ubi saltim quatuor constituit 1. Domicilium.

A 2

lium.

lium. 2. Contractum. 3. Delictum. 4. Rem. *Zoesius in com. ad jus Can. tit. d. foro competente. n. 6. & seq.* Sex constituit 1. Rem. 2. Contractum. 3. Causam qualificatam. 4. Delictum 5. Privilegium singulare. 6. Domicilium; Et alii plures. Inter hos verò, qui plures scilicet causas competentiae constituunt, est *Hostiens. in Summar. d. foro competente*, ubi tredecim causas ponit. *Azo in Summ. C. de jurisd. omnium judicum.* quindecim causas competentiae fori refert. *Speculator in Tit. de compet. Jud.* ponit quinquaginta duas. Verùm enimverò neque illas, neque hasce opiniones tolerare posse, cùm propriè septem fori competentis modi inveniantur, quæ sequentibus patefcet.

(b) Et hoc verùm est, sive actione personali, sive reali reus conveniatur per *l. 3. in verb. SED ET. C. ubi in rem actio B. Dn. Ungeb. in com. ad jus Can. tit. d. foro competente n. 54. contra Mindaxum d. process. lib. 3. cap. 3 in pr. Zanger. loc. cit, n. 264.* ubi competentiam in realibus solum ad forum rei sitae restringunt. Neque inter est, sive res illa, propter quam contenditur sit mobilis, sive immobilis *Perez. in C. ubi in rem actio.* Sed quæritur hic: An etiam ex quasi contractu aliquis conveniri possit in foro domicilii. E.g. Tutor, administrator, qui aliàs conveniri possunt in loco Tutelæ vel Administrationis gestæ? Resp. Multi sunt qui negant, inter quos est *Zanger. d. Except. p. 2. cap. 1. n. 373. & alii.* Nos contrariam opinionem veriore putamus cum *Herm. Vultejo. in l. 1. C. ubi de ratiocin.* ex naturâ sc. actionum personalium.

Est autem domicilium illud duplex: Vel originis. vel habitationis. Hoc prævalet, ita ut mutato domicilio originis reus ibi conveniri nequeat. *Gail. 2. obs. 36.* quod quidem, & ut mihi videtur, magis ex autoritate Panormitani

mitani atque aliorum, quàm legis vigore limitat: Nisi reus ibi reperiatur. *n. 11.* Cui tamen contradicit communis hodierna consuetudo testante *Zangero loc. cit. p. 2. cap. 1. n. 75.* Illud (domicilium originis) præsumitur *Mascard. d. prob. vol. 1. Concl. 534.* hoc verò domicilium habitationis probari debet. *Franzkius lib. 2. Resol. 16. n. 18. 19.* Unde, si à reo opponatur declinatoria fori, & allegetur mutatum domicilium originis, propter contrariam præsumptionem, quæ onus probandi transfert, ipsi incumbet probatio; quomodo autem illud probetur, nostri instituti non est hic apponere, videatur de istis latè *Zangerus dict. loc. n. 9. usque n. 108.*

(c) In loco sc. destinatæ solutionis *Magn. Dn. Carpz. in proc. jur. Tit. 3. Art. 2. n. 4. Zanger, d. Except. p. 2. cap. 1. n. 111.* Contraxisse enim unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret, sese obligavit *l. 21. ff. d. O. & A.* Quid verò si de loco solutionis expresse nihil dictum? *Q.* Resp. Ubi negotium gestum est, esse locum destinatæ solutionis. *Zanger. d. l.* Quid si inter absentes per literas contractum? *Resp.* Contractum tunc ibi intelligi, ubi utriusque partis consensus conjungitur, nimirum ubi literæ acceptatæ. *Berlich. decis. 37.* Quid si Reus degat eo in loco, qui habet privilegium de non evocando, poteritne conveniri coram iudice loci contractus? *Resp.* Omninò per *cap. dilecti filii 17. x. de for. compet. Dn. Carpzov. Resp. lib. 2. resp. jur. 29. Zanger. d. l. n. 108.* qui alios adhuc citat. Prædicta tamen non aliter procedunt, quàm si ibi (in loco sc. contractus) præsens sit & reperiatur reus *cap. Romana 1. §. contrabentes & de for. comp. in 6to. Dn. Carpz. Proc. jur. tit. 3. Art. 2. n. 17. Gail. 2. Obs. 36.* Neque inter est, siue contrahens ipse sit, siue hæres ejus, qui re-

ritur. *Zanger. d. l. n. 114.* sive ad implementum, sive ad rescissionem contractus agatur *Arg. l. 14. §. 4. C. d. non numer. pec. l. 27. ff. d. condict. indeb. Coler. d. proc. Exec. p. 2. c. 1. n. 19.* Neque obst. *l. 2. C. ubi & apud quem cognit.* Ubi dicitur consequens esse in causa restitutionis adire principem provinciæ, ubi domicilium habet, contra quem petitur restitutio: Respondetur enim: Unius positionem non esse alterius exclusionem. Licet conveniri possit reus in foro domicilii, id quod Actori semper licet, & in electione ejus est *Rittersb. in Exposit. Novell. p. 9. c. 10. n. 42.*) in puncto restitutionis in integrum; non tamen sequitur, quod non possit hâc actione etiam conveniri in loco contractus, si ibi reperiatur. Vel: respondetur *l. cit. 2.* loqui de reo absente à loco contractus, non verò præsentem. Necessum tamen est, ut ad tempus ibi commoretur, & non tanquam advena statim sit recessurus. *Rittershus. l. cit. n. 46. Zang. loc. cit. n. 119. per l. 19. §. proinde ff. d. judic. non obstante generalitate c. 1. §. contrabentes X. de foro comp. in 6to.* explicandum siquidem & restringendum hoc est ex jure civili. Insinuatâ verò semel citatione inducta est litis pendentia *Gail. 1. Obs. 34. Mascard. d. probat. vol. 3. concl. 1227. n. 6. per l. si quis. 7. ff. d. judic.* Atque deinde ibi sive absens, sive præsens sit usque ad finem actionis respondere tenetur, cum ubi iudicium cœptum, est ibi & finiri debeat.

(d) E. g. Administrator in loco administrationis, tutor vel curator in loco tutelæ vel curatellæ gestæ *l. 1. C. Ubi d. ratiocin. l. 19. §. 1. ff. de judic. Sichard. ad l. 2. C. de jurisdict. omn. judic.* Neque interest, sive reperiatur tutor vel curator in loco administrationis, sive non; citatâ enim *l. 2.* indifferenter loquitur. Sic etiam ex qf. contr.
hæc

hæres ibi conveniri poterit, ubi defunctus conveniri potuit, si sc. ibi reperiatur per *l. hæres absens ff. de judic.* E. g. Mercator Lipsiensis debitor moritur, hæres ejus habitat Dresdæ, jam si hæres Lipsiæ per aliquod tempus commoretur, ibi conveniri poterit, quod aliàs coram Senatu Dresdensi fieri debuisset. Secus tamen est, si lis jam cœpta sit cum demortuo; tunc enim hæres ibi se defendere debet, ubi demortuus, sive ibi reperiatur, sive non, per *l. cit. hæres absens.* Ex ratione sc. litis pendentia *Zanger. dict. loc. n. 120. 121. 122.* Idem juris est in conditione indebiti, quæ eo loco, ubi indebitum solutum, intentari potest. *l. 27. ff. de condict. & indeb.*

(e) Sive reus sit absens, sive præsens. *Dn. Hahn. in Observ. ad Wesenb. part. 1. pag. 36. Magn. Dn. Carpz. in Pr. Cr. p. 3. p. 110. n. 47. Zanger. d. Except. p. 2. cap. 1. n. 251.* Sive ipsi citatio insinuata fuerit in loco delicti, sive non, contra *Rauchbar. p. 1. qv. 50. n. 10. Petr. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 4. tb. 3. lit. B.* Potest enim citari per edictum, si sui copiam non faciat, uti quotidie practitari deprehendimus. Imò judex domicilii vel deprehensionis necessario tenetur remittere delinquentem ad locum delicti, ita ut remissionem declinare non possit, licet se ipsum ad jus reddendum paratum dixerit. *Zanger. d. l. n. 247. Prosper Farinac. in Pr. Crim. lib. 1. tit. 1. qv. 7. n. 19. & seq. per Nov. 134. cap. 5. l. 28. §. 15. ff. de poen. & c.* Et licet plurimi hoc in quibuslibet locis desuetudine abrogatum dicant, quod tamen adhuc hodie Præfecturæ in Electoratu Saxonie ejusmodi jus avocandi reum habeant per *Ord. Provincia d. Anno 1555.* non est, neque ratio instituti patitur, ut multis deducamus, videri potest de hac quaestione *Carpz. in Pr. Cr. p. 3. qv. 110. n. 54. & seq.*
ubi

ubi latè explicat. Quæritur An etiam ex quasi delicto aliquis sortiatur forum. E. g. Ex conducto & ad tempus saltem, non animo ibi permanendi, aliquis inhabitat domum in urbe Lipsiâ; (cui tamen ratione domicilii Senatus Freibergensis iudex competens est) jam verò aliquid dejectum vel effusum est à ministris inhabitantis, quod nocuit prætereunti cuidam, quæritur igitur, quia inhabitator ex quasi delicto tenetur actione de dejectis vel effusis *l. 1. ff. de his qui dejec. vel effud.* quæ personalis est, An etiam coram Senatu Lipsiensi conveniri possit? Resp. Neg. Quia actio de dejectis & effusis est actio personalis, & consequenter in foro domicilii instituenda; Neque obstat quod delinquens accusari possit in foro delicti. *l. 3. ff. de Off. Præs. l. 7. §. pen. & l. f. ff. de Accus.* Respondetur enim, aliam esse rationem veri delicti, aliam quasi delicti. Licet in vero delicto introductum sit in odium delinquentium, ut in loco delicti commissi accusari atque puniri possint, non tamen hoc statim extendendum ad quasi delictum: præsertim ad præsentem casum, ubi habitatorem ne quidem accusare, sed saltem contra ipsum de dejectis & effusis agere permittitur.

(f) Sive persona, quæ actione ista in rem convenitur, sit Ecclesiastica, sive secularis, nihilominus tenetur stare coram iudice rei sitæ, sive ille sit Clericus, sive Laicus *Gail 1. Obs. 37. per Auth. Clerici C. de Episc. & Cleric. Mynsing. cent. 1. Obs. 22. n. 4. cent. 5. observ. 95. Treutl. vol. 1. disp. 3. tb. 8. Klock Tom. 2. Conf. 86. n. 10. Dn. Carpz. in Proc. jur. tit. 3. Art. 3. n. 21.* Quicquid enim in contrarium dicat *Zoesius in C. ubi in rem actio. Hieron. Schurf. cent. 1. consil. 44. n. 1. Argentoratenses tom. 2. Consil. 24. n. 6.* qui putant, ne quidem consuetudine introduci posse, ut
per-

persona Ecclesiastica propter rem sitam conveniri possit coram iudice seculari: Verum quam debili hac opinio nitatur fundamento in conflictu videbimus. Neque aliquid refert, utrum persona, quæ convenitur tali actione, inveniatur in loco rei sitæ, utrum verò non, uti quidem distinguere voluerunt *Paul. de Cast. & Sicardus in l. f. C. ubi in rem & post eos Jacob. Cujac. in Parat. ad Tit. Cod. ubi de hered. agi oport.* dicentes iniquissimum fore reum ex domicili loco extrahi ad locum, quo res sita est, reumque nunquam ibi habere forum nisi & ibi reperiat. Sed nos generaliter reo propter rem sitam tribuimus forum, sive ibi reperiat, sive non, cum *Zangero de Except. p. 2. cap. 1. n. 285.* per generalitatem *l. f. C. ubi in rem actio.*

(g) Tales sunt 1. Causæ Ecclesiasticæ sive spirituales, quæ ventilandæ veniunt coram iudice Ecclesiastico, & eo, qui illum repræsentat, uti hodiè Principes Augustanæ Confessionis, qui ex constitutione pacis religiosæ Anno 1552. Passavii sancitâ, & Anno 1555. Augustæ confirmatâ universa jura Episcopalia sibi vindicant, atque rursus Consistoriis illam cognoscendi potestatem ex parte deferunt, de quibus latè *Dr. Carpz. in Jurispr. Ecclesiast. lib. 3. tit. 10. def. 2.* Sed quænam sunt tales causæ Ecclesiasticæ? **Q.** De causis matrimonialibus nullum est dubium tam jure Canon. per *cap. accedentibus 12. X. de Excess. Prelat.* quàm jure Ordinat. *Ecclesiast. cap. 7.* Eò etiam spectant causæ usurarum *tot. tit. X. de Usur. Ludolph. Schrader de feudis part. 1. qv. 16. n. 24.* Licet praxis hodierna cognitionem de crimine Usurarum deferat quoque Judici seculari *Recess. Imper. de Anno 1501. Rubric. Von wucherlichen Contracten §. Nach dem auch, ibi Gebieten auch hiermit*

B allen

allen und jeden Geistlichen und Weltlichen Richten / Urtheilern und Gerichten / wann solche wucherliche unziemliche oder gefährliche Contracte an sie gebracht werden / Illoque in Provinciis Electoratûs Saxon. vix quicquam certius est, ut liquet ex *Ordin. Torg. de Anno 1583. §. De usurariis contractibus*. Ejusdem porrò juris sunt causæ decimarum *tot. tit. X. de decimis in 6to*. It. causæ de beneficiis Ecclesiasticis, juris Patronatus, causæ de suspensione Clericorum eorumque depositione seu destitutione, & aliæ plures, de quibus Autores hinc passim evolvi possunt. 2. Ejusdem etiam qualitatis sunt causæ feudales: Efficiunt enim forum competens Vasalli in judicio Senioris seu Domini feudi, quantumvis litigantes alibi aliàs sortiantur forum, 2. *FF. 55. cap. un. §. ult.* Si verò inter Dominum & Vasallum lis oriatur, coram Paribus curiæ, h. e. Convasallis, ab utraque parte pari numero electis, sortiuntur forum, sive Dominus sive Vasallus partes rei sustineat. 2. *FF. 16. cap. un.* Videatur *Dn. Struvius in Syntagm. Juris feud. cap. 16.* ubi latè & eleganter de hoc foro differit. Quanquam hodiè in terris Electoratûs Saxon. causæ feudales non semper constituent judicium singulare; videmus enim causas feudales ac lites de servitutibus & finibus bonorum feudalium etiam in Curiis provincialibus, præsertim quando Reus est Schriffisassius, immediatè tractari posse.

(h) Gaudet autem ejusmodi privilegio vel Actor vel Reus. Actor quidem autoritate *l. un. C. quand. Imper. int. pup. vel vid.* Cujus vigore pupillis, viduis & aliis fortunæ injuriis miserabilibus personis indultum est adversarios suos è provinciâ, in quâ sunt Rei conventi, evocare ad auditorium & curiam Imperatoris, non obstante beneficio

beneficio primæ instantiæ; Quod beneficium licet hodiè
in aulâ Imperatoris & Camerâ Imperiali ab observantiâ
recesserit, atque ejusmodi personis, uti & aliis, non nisi in
casu denegatæ justitiæ per mandata in Cam. Imp. succur-
ratur. *Gail. 1. Obs. 1.* In Principum tamen & Statuum Im-
perii judiciis, uti & in Electoratu Saxonix sanctionem
hanc suo vigori & observantiæ relictam esse asserit *Dn.*
Carpz. 2. resp. 19. Qu. An hoc privilegium etiam spectet Q.
ad Virgines? Et affirmamus cum *Hillig. in Donell. Enucl.*
lib. 17. cap. 20. lit. B. contra Gail. 1. Obs. 1. Non enim ea so-
lummodo in jure nostro dicitur vidua, quæ aliquando
nupta fuit, sed ea quoque quæ virum non habuit *l. 242.*
§. 3. ff. d. U. S. Qu. An privilegium hoc spectet ad viduas Q.
& pupillos divites? Et resp. quod sic. Loquitur enim
Imperator generaliter absque distinctione; verba au-
tem generalia generaliter sunt intelligenda, donec spe-
cialitas aliqua demonstretur per *l. 1. §. generaliter ff. de*
Legat. prestand. Et hæc de privilegio Actoris. Respectu
verò Rei peculiari privilegio fori gaudet 1. Imperator,
qui in causis ipsum Imperatorem concernentibus coram
Electore Palatino S. R. Imp. Archidapifero convenitur
A. B. cap. 5. LandR. lib. 3. Art. 52. in f. Reichb. Art. 9. in f.
additâ tamen eâ limitatione, ut non in prædicto Palati-
natu stare teneatur, sed in ipsius Imperatoris aulâ, aut ubi
aliàs degit, judicium institui debeat, per verba expressa in
d. A. B. cap. cit. Jedoch soll der Pfalzgraff dasselbige sonst
nirgends haben noch suchen denn an einem Keyserlichen
Hoff/ oder wo der Keyser oder der Römische König gegen-
wärtig ist. Ad quem verò in casu malè administrati Im-
perii vel Exauctorationis spectet cognitio & dijudicatio
tractat *Reink. de Regim. Secul. & Ecclesiast. lib. 1. cl. 4. c. 5.*

n. 5. & seqq. *Limn. de jure publico lib. 3. cap. 9. n. 23. & seqq.*
Dn. Carpz in jur. feud. Disp. 4. qv. 3. Ubi concludunt ad
totum Electorale Collegium illud spectare, exemplique
loco adducunt sententiam Exauctorationis Wenceslai
Imperatoris ab Electoribus Imperii latam, & Anno 1420.
Mens. August. publicatam, ad Rheni ripam non procul
ab Oppido Lonstein tribunali instituto. Ex hoc funda-
mento, quod cujus est Electio, ejus quoque sit dispositio
arg. l. nihil tam naturale ff. de R. J.

2. Electores, Principes ac Principum dignitate ful-
gentes, *Churfürsten/ Fürsten/ und Fürstnässige/* qui sem-
per fruuntur privilegio Austregarum, coram quibus in
primâ instantiâ conveniri debent *Ord. Cam. Imper. part. 2.*
tit. 2. Gail. 1. Obs. 1.

3. Reliqui qui Imperio immediatè subsunt, & tamen
in superiori ordine non comprehenduntur, ut sunt Præ-
lati, Comites, Barones, Domini, Nobiles, (exceptis Civi-
tatibus Imperialibus,) si ab Electoribus & Principibus aut
aliis, qui Imperio immediatè subsunt, conveniuntur, Au-
stregarum instantiâ gaudere solent. *Ord. Cam. p. 2. tit. 3.*
& 5. Si autem ab eo, qui imperio mediatè subjectus est,
conveniantur, statim in Camerâ conveniri possunt, teste
Mindano de Process. lib. 1. c. 18. n. 4. Gail. l. cit. n. 17. & 46.
Mynsing. cent. 1. Obs. 89. Civitates verò Imperiales, si con-
tra aliquem, qui Imperio immediatè subjectus est (exce-
ptis Electoribus, Principibus & Principum dignitate ful-
gentibus, qui uti supra dictum semper gaudent Austre-
garum beneficio) agere velint, statim illum coram Ca-
merâ, non obstante primâ Austregarum instantiâ, conve-
nire possunt, teste eod. *Mind. loc. cit.* ubi præjudicium
Camerae d. Anno 1565. Octobr. 15. in causa Civitatis Im-
peria-

perialis Winsheimb contra Comitem ab Hohenloh. Imò
ipsæ Civitates Imperiales si ab Electore Principe & alio
Imperio immediatè subjecto conveniantur, non gau-
dent Austregarum instantiâ, sed statim in Camerâ con-
veniri possunt; Nullibi enim fit mentio in *Ord. Cam. loc.
cit.* quod Civitates gaudeant hâc instantiâ; Austregæ au-
tem sunt strictissimi juris, & de casu expresso ad casum
non expressum extendi non possunt. *Mind. loc. cit. cap.
19. n. 21. Myns. cent. 5. Obs. 1.* Ubi præjudicia quædam Ca-
meræ adducit. Ex quo videri potest, Civitates Imperia-
les deterioris esse sortis, quàm Comites, Barones & alii
qui Imperio immediatè subjecti sunt. Limitamus tamen
hocce nostrum assertum; Nisi quædam civitates ex lon-
gissimâ consuetudine peculiare Austregas habeant.
Mind. loc. cit. Gail. loc. cit. Umm. Diff. 4. ad Proc. tb. 7. n. 48.

4. Studiosi, qui coram Rectore conveniri debent
Autb. habita (Ne filius pro Patre &c. Quid si in Academia Q.
non contraxerint, neque ibi reperiantur? Resp. posse
conveniri coram iudice illius loci, ubi contraxerunt:
Loquitur enim *d. Autb.* solùm de locis, in quibus littera-
rum exercentur studia, inque eâ opinione etiam est
Frantzkius lib. 1. Resolut. 16. n. 68. Licet in Lipsiensi Uni-
versitate ita sit adactum, ut ejus membra, non tantùm
in civitate Lipsiâ deprehensa, sed & extra ad tres dietas
à Magistratu loci capta Rectori punienda remitti de-
beant, uti quotidie praticari deprehendimus, testis
etiam est *Dn. Carpz. in Pr. jur. tit. 3. Art. 6. n. 59.*

5. Clerici, præsertim in Electoratu nostro Saxonix,
ubi in actionibus personalibus coram Consistorio con-
veniri debent per *Ord. Eccles. sub. tit. Von immunitatibus
und Freyheiten derer Kirchendiener.* A quonam verò ju-

dice Clerici delinquentes pro ratione circumstantiarum puniendi veniant, ostendit *Dn. Carpz. in Prax. Cr. p. 3. qv. 110. n. 82. & seqq. ex Ord. Eccles. tit.* Von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg. *Art. 7. vers.* Alle ärgerliche Sünd und Laster an den Lehrern und Zuhörern wider die erste und andere Tafel der Gebot Gottes/ allein so viel die gradus admonitionum und nicht die weltliche Straffe belanget &c. *Hæcque de Clericis brevissimè. Sunt & alii plures, qui ex peculiari privilegio vel indultu Principis singulari gaudent fori competentia, quas omnes referre ratio instituti non patitur, cum aliàs satis in hæc materia, quæ tamen ad nostrum scopum non directò tendit, prolixi fuerimus.*

(i) Et de hæc fori competentia nobis in præsentia sermo est, quando sc. aliquis ex ratione continentia fortitur forum, quod aliàs non sortiretur.

THESIS II.

Offert sese continentia causæ vel ratione unius actionis, vel ratione diversarum actionum.

Ἐκθεσις.

Et hæc divisio melior videtur quàm *Mindani*, qui duodecim causæ continentia capita recenset *de Proc. lib. 3. cap. 2. n. 8.* Omnes enim quæ à *Mindano* recensentur, si modo verè sint causæ continentia, sub duobus superioribus membris contineri possunt. E. g. sub primo continetur causæ continentia 1. ratione rerum diversis jurisdictionibus subjectarum. 2. ratione personarum diversi fori. 3. ratione cœpti litigii. 4. ratione interventionis. 5. ratione rei & obligationis individua. 6. ratione

tione actionis individuae. 7. ratione individuae societatis, & concurrentiae inhabilis & incapacis cum habili & capace. Sub secundo verò membro continetur continentia causae ratione conventionis & reconventionis, cui & hanc addimus ratione Possessorii & Petitorii. In his quidem adductis modis licet *Mindano* non denegetur causae continentiam, quia tamen non omnes eundem producant effectum, ita ut peculiare forum operentur, de quo nobis sermo est, igitur illos modos qui non operantur peculiare forum silentio prætereundos esse putamus. An verò reliquæ à *Mindano* recensitæ species sint verè causae continententes? E. g. Ratione cumulationis actionum, ratione principalis & accessoriae, ratione pertinentiarum, ratione consequentiae, non tam facile concedere possumus. Non enim statim sunt continententes, quæ unâ actione vel coram eodem iudice peti possunt, sed quæ vel coram eodem iudice, vel una actione peti debent. *arg. l. 10. C. de iudiciis*. Jam verò, ut ad scopum cursus nostri dirigamus, dicimus.

THESIS III.

Continentia causae ratione unius actionis incompetentem (a) aliàs iudicem ratione primæ instantiæ facit competentem 1. ratione rerum diversis jurisdictionibus subjectarum (b).

Ex Jecis.

(a) Antequam ulterius provehamur, sciendum quod in Disputatione nostra iudicem incompetentem duplici consideremus ratione, cum quatenus est incompetens ratione primæ instantiæ saltem, & sic mediatè competens
Iudex

Judex, tùm etiam quatenus est Judex prorsus incompe-
tens, cui neque mediatè neque immediatè aliàs compe-
teret Jurisdictio. De utroque nobis sermo est in hâc
disputatione contra *Berlich. decis. 220. n. 21.* sed non in sin-
gulis casibus, in præsentî thesæos casu intelligimus Judi-
cem incompetentem ratione primæ instantiæ, ad quem
aliàs non nisi per modum appellationis devoluta fuerit,
& pertinet causæ cognitio. *Berlich. decis. cit. n. 17.*

(b) E. g. Si quis velit impetrare Arrestum generale
in omnia bona debitoris, quæ partim sub jurisdictione
civitatis Lipsiensis, partim civitatis Freibergensis sita sunt,
tunc immediatè potest adire Potentissimum Electorem
Saxoniam, atque ibi impetrare Arrestum, non requisito ju-
dice loci immediato, quæ & propria ratio sanctionis isti-
us Electoralis esse videtur in *Ord. Proc. jud. tit. 5. §. Wenn
aber in unserer Cankley.* Sic etiam si Titius bona Mævii
in una obligatione sibi hypothecata haberet, quæ essent
sita sub diversis Jurisdictionibus in Electoratu Saxoniam,
tunc etiam poterit adire superiorem judicem, atque ab
illo ex ratione continentiam executionem petere. Sed
Q. quid si bona ista Titio conventionaliter forsitan hypo-
thecata partim sita essent sub potentissimo Electore Sa-
xoniam, partim sub Illustrissimo Duce Saxoniam Vinari-
ensi Wilhelmo, an non obstante privilegio de non ap-
pellando executio posset peti in Camera Imperiali,
quemadmodum apud alios Principes vel Civitates Im-
periales fieri posset, quando non habent privilegium de
non appellando? Et Respondemus: Affirmat illud qui-
dem *Mindanus de Proc. lib. 3. cap. 3. §. 6.* & hac ratio-
ne, quod Principes Saxoniam non minus ac Reliqui Sa-
cro Romano Imperio & Camera Imperiali subsint,
Verum,

Verùm , quia Camera Imperialis prorsus nullam habet
causæ cognitionem, neque etiam ratione secundæ instan-
tiæ in eiusmodi actionibus, quæ ventilantur sub Jurisdicti-
onibus Ducum Saxoniae propter privilegium de non ap-
pellando, cum tamen ipso fatente *Mindano loc. cit. §. 7.*
eiusmodi superiorita hoc casu requiratur; Ideò hæc
causæ continentia non tanti momenti erit, ut ex Judice
ex toto incompetente faciat judicem competentem. Ac-
cedit & hoc, quod, si privilegium istud de non provocan-
do à Ducibus Saxon. ad Cameram accuratius inspiciamus,
inter alia & hæc concessionis ratio adducitur, quod pro-
pter peculiare jus Saxonicum, quo utimur, causæ minus
accuratè in Camerâ ventilari possint, quã & hisce in casu-
bus adhuc vires suas habere, & proinde idem jus facere
dubitari vix potest. Neque obstat 1. quod *Mindanus* dicat.
Ex hac ratione cognitionem ad Cameram spectare, quia
ipsi Principes subsunt jurisdictioni Cameræ: Non enim
sequitur: Ipse Princeps potest conveniri coram Camerâ.
Ergò etiam earum causarum cognitio, quæ ventilantur
aliàs coram Illis, ex continentiae ratione spectabit ad Ca-
meram, cuius Jurisdictionem Imperator respectu causa-
rum, ubi Dux Saxoniae Judex est, prorsus transtulit ad Du-
ces Saxoniae, respectu verò causarum, ubi Dux Saxoniae
Reus est, sibi reservavit. Diversissima igitur hæc esse,
neque necessariò se invicem consequentia quis non de-
prehendit? Neque obstat 2. *Recessus Deputat. Anno 1600. §.*
Ben unsern Kayserslichen Cammergerichte & seqq. Vide-
mus ambos paragraphos loqui, quando aliquis ratione se-
cundæ instantiæ Cameram Imperialem agnoscit judicem
competentem, dum in primâ instantiâ Austregæ judi-
cant, quod tamen in præsentis casu prorsus aliter est, si-

C

quidem

quidem Camera tam ratione secundæ, quàm primæ instantiæ in causis, quæ ventilantur coram Ducibus Saxonix, & ita in totum incompetens iudex est. Dicimus igitur quod in eiusmodi casu separatim ꝑ coram Serenissimo atque Potentissimo Elector. Saxon. & coram Serenissimis atque Illustrissimis ducibus Saxon. executio peti debeat, causæ enim continentiam dividi posse, si non coram eodem iudice ventilari POSSIT, patet ex ipsa l. 20. C. d. *Judiciis in verb.* Quod in uno eodemque iudicio POTERAT terminari. Aquà opinione non est alienus *Berlich, decis. 220. n. 18.* ipse *Mindanus d. l. lib. 3. cap. 3. §. 7.* Idem etiam obtinebit si bona partim sita sint sub Duce Saxonix, partim sub alio Principe, qui privilegium de non appellando non habet, non enim huius conditio deteriorem potest facere conditionem alterius. Secus tamen est, si uterque, sub quo bona sita sunt, non habeat Privilegiũ de non appellando, ibi enim jurisdictionem Camera Imperialis tanquam Judicis mediati fundari posse non attentã exceptione primæ instantiæ, tantum abest ut negemus, cum illud potius ex ratione continentix ambabus largiamur manibus vid. *Carpz. in Proc. jur. Tit. 3. Art. 5. n. 33.*

THESIS IV.

II. Ratione personarum diversi fori. (a)

Εκθεσις.

(a) Diximus in præcedenti thesi res, quæ ex causæ continentia unâ actione petuntur, sæpius iudicem incompetentem ratione primæ instantiæ (sive superiorem) immediatè competentem facere, sequitur ut etiam qualiter ratione personarum, quæ conveniuntur, eiusdem Jurisdictio immediatè fundetur, non obstante beneficio primæ instantiæ breviter dicamus. Licet autem quilibet five
ex

ex Jure in re, sive ex jure ad rem conveniatur, coram judice suo immediato prius conveniri debeat, atque coram superiore non, nisi per modum appellationis causa devoluta fuerit, respondere teneatur, evenire tamen potest, ut si forsitan sint plures rei diversi fori statim ad superiorem ex causæ continentia cognitio spectare possit. Et hoc fit.

1. In realibus. E. g. Titius civis Dresdensis & Mævius civis Freibergensis possident prædium Sempronii, quod sub jurisdictione Senatus Lipsiensis situm est. Sempronius igitur vindicans prædium suum potest agere 1. in foro rei sitæ coram Senatu Lipsiensi. 2. in foro domicilii rei conventi. *Carpzov. lib. 1. Resp. 101. per l. f. c. ubi in rem actio*, quicquid in contrarium dicat *Mindanus d. Process. lib. 3. cap. 3. in pr. Donellus lib. 27. comment. jur. civ. cap. 7.* Deliberans igitur secum Sempronius actionem instituere vult in foro domicilii, & quia Rei sunt diversi fori, ex continentia ratione statim eos coram Potentissimo Electore Saxoniae, non obstante exceptione primæ instantiæ, convenire, & ita plurium instantiarum molestias & protractiones cautè evitare potest, cui lite demum finita executoriales literæ dantur ad Senatum Lipsiensem. Ratio autem decidendi consistit in eo, quod si actori liberum est agere hoc casu in foro domicilii, (uti patet ex *l. f. c. ubi in rem actio*) utique reos diversi domicilii & fori ex continentia causa, poterit immediatè trahere ad Judicem superiorem, quia ibi in uno judicio causa terminari potest. *f. c. d. judiciis.*

2. In personalibus. E. g. Plures hæredes debitores diversi fori sunt conveniendi, qui tamen nunquam in foro demortui se inveniri patiuntur (ubi hoc casu conveniri possint, *per l. hæres absens in pr. ff. d. judicio.*) neque unquam lis mota fuit demortuo (ubi etiam se defendere hoc casu

deberent ex ratione litis pendentiae *l. cit. 19. in pr. ff. d. ju-*
Q. dic.) Quæritur igitur ubi conveniendi? Resp. Coram o-
mnium superiore ex ratione continentiae, ne illa divida-
tur, non obstante primæ instantiæ exceptione. Ut si forsi-
tan unus habitet Lipsiæ, alter Freibergæ, Tertius Dresdæ
statim Serenissimus Elector Saxon. adiri, & ita appellatio-
num molestia evitari potest. *Dn. Carpzov. in Proc. Jur. Tit.*
3. A. 5. n. 16. & seqq. Gail. 1. Obs. 32. n. 2. Idem etiam juris ob-
tinet ratione Camerae Imperialis, immediatè enim statim
eius Jurisdictio fundatur, si forsitan unus reorū sit Land-
graviorum, Hassiæ alter Comitum Schvvartzburgensium
vel civitatis Imperialis subditus, vel etiam immediatè im-
perio subiectus sit, uti latè illud tractat *Mindanus de Process.*
lib. 3. cap. 4. §. 2. 4. 5. Eadem porrò ratio decidendi est in
conveniendis pluribus correis promittendi (qui contra
dispositionem juris *ff. l. 3. §. f. d. duob. reis. constit.* jure No-
vellarum habent beneficium divisionis, si uterque solven-
do existat. *avtb. Hoc ita. C. d. duobus reis quemadmo-*
dum & plures fideiussores avtb. presente C. d. fideiuss.) qui
diversis jurisdictionibus subiecti sunt, immediatè enim
statim ad superiorem iri, & ita una vel altera instantia evi-
tari potest. Sic etiam *Schrifftsassius & amtblassius* unâ
actione statim in Curia Proninciali immediatè rectè con-
*Q.*veniuntur; Sed quæritur 1. quid obtineat in pluribus sociis,
qui non habent beneficium divisionis *l. 82. ff. pro socio. Fab.*
in Cod. lib. 4. tit. 27. defin. 1. n. 2. quemadmodum Fideiuf-
sores & correi debendi habent *Wes. ad ff. d. duob. reis n. 7.*
Zanger. d. Except. p. 3. cap. 19. n. 11. Schneidew. ad J. § pen. d.
duob. reis n. 3? Resp. Licet Socii plures non habeant benefi-
cium divisionis, & ita unus vel alter separatim propter to-
tum debitum conveniri possit, omnes tamen simul, si
forsitan

forſitan aſtori illud proficuum viſum fuerit, conveniri poſſe, nullus dubito; omnes enim obligatos habet. Quia igitur omnes convenire poteſt ſimul, utique ſi forſitan ſint diverſi fori, eos ex cauſæ continentia ad evitandas plures inſtantias ſtatim coram Superiore conveniri poſſe, minimè dubitandum; quod ſi contra unum ſocium in ſpecie agere velit ipſi non concedendum, ſed coram iudice immediato actio inſtituenda & non niſi per modum appellationis cognitio ad ſuperiorem pertinebit.

Quæritur 2. Quid obtineat, ſi forſitan rei iſti conven-
ti unus ſub Electoratu Saxonix, alter ſub Ducatu Alten-
burgenſi domicilium habeat, ubi conveniendi? Et ean-
dem contra *Mindanum* quam ſupra *theſ. 3. lit. b. in m. & f.*
dedimus, damus reſponſionem, & dicimus non poſſe con-
veniri coram Camera Imperiali ex cauſæ continentia, ſi-
quidem ea hoc caſu ſemper præſupponit Magiſtratum ſeu
iudicem ſuperiorem, ad quem ratione ſecundæ inſtantiæ
pertinet cauſæ cognitio, *Carpzov. lib. 2. Reſp. 18. n. 11.* quale
jus Camera Imperiali per conſeſſionem privilegii de non
appellando à Ducibus Saxonix ablatum eſt, non igitur
poteſt hæc ratione cognoſcere. Sed Aſtor hoc caſu aut
ſeparatim contra quemlibet agere poterit, vel pro virili
portione, ſi habent beneficium diſiſionis, quemadmo-
dum Fideiuſſores, Correi debendi, vel in ſolidum, ſi non
habent, ut ſocii, quo caſu ſolutione ab uno factâ alter li-
beratur *l. 57. ff. d. R. J. vid. Dn. Carpz. loc. cit. Reſp. 18. n. 12.*
Aut conjunctim agere poterit, impetratâ ſc. Commiſſio-
ne ab iſtis duobus Principibus. Et hancce noſtram aſſerti-
onem extendimus ad eum caſum, ſi ſubditus Principis,
qui non habet Privilegium de non appellando, concurrat
cum ſubdito alicuius Ducis Saxonix; neque enim tunc

subditum Ducis Saxon. trahendum esse ad jurisdictionem
Camerae Imperialis, sed supra dicto modo causa ventilan-
da veniet. Quod tamen secus est, si omnes qui conveni-
untur, degant sub eiusmodi Principibus, qui non habent
privilegium de non appellando; immediatè enim eos sta-
tim in Camera ex continentia causæ conveniri posse, tan-
tum abest ut negemus, cum potius illud ipsum ambabus
largiamur manibus.

Q.

Quæritur 3. Ubi actio instituenda, si alter Reorum
sit Clericus, alter Laicus? Resp. Dicit quidem *Maranta*
part. 4. d. Ord. Judic. dist. 11. n. 18. ex autoritate *Bl. in l. præ-*
cipimus in f. C. de Appellat. Et cum eo *Gail. 1. de publ. pace. cap.*
6. n. 20. Ac plures Canonistæ, actionem instituendam esse
coram iudice Ecclesiastico, & Laicum ibi respondere te-
neri, ex eo, quod magis dignum ad se trahat minus di-
gnum. Verùm eos rectè refellit *Mindanus lib. 3. d. Proc. cap.*
4. §. 14. in f. dicens. Quod hæc in præjudicium Magistra-
tus Politici ineptissimè conficta, & per errorem aliquan-
diu observata sint. Quicquid etiam in contrarium dicat
Berlich. dissentiens Decis. 220. n. 24. 25. semper enim requi-
ritur in hoc nostro casu superioritas iudicis, ad quem se-
per modum appellationis spectat causæ cognitio, jam ve-
rò eiusmodi superioritatem Iudex Ecclesiasticus in Lai-
cum non habet. Ergo non tenebitur stare coram illo &
respondere. Causa itaque dividenda, & quilibet co-
ram suo Magistratu conveniendus erit, cum coram uno
iudice finiri non POSSIT *arg. à contrar. l. 10. C. d. Judic.*
Quod tamen in foro nostro ex causæ continentia etiam
in uno iudicio ventilari poterit. E. g. Clericus, conveni-
endus aliàs coram Consistorio, concurrens cum Laico ci-
ve

ve Lipsiensi, immediatè coram Serenissimo Electore Saxoniae conveniri potest, utpote cui ex Pacificatione Passaviensi competit superioritas Episcopalis, cognitionem igitur aequè in Clericum ac in Laicum immediatè statim hoc casu habebit. Ultimò tandem hoc in passu notandum venit, quod, si duo Rei, unus sub Episcopatu Misnensi, alter in territorio Electoratus Saxoniae degat, hâc ratione ex causæ continentia subditus Episcopatus ad Curiam Provinciale Lipsiensem trahi possit, atque ibi respondere teneatur, licet Curia ista neque ratione secundæ instantiæ in illos subditos ullam habeat jurisdictionem *per Rescriptum ad Curiam Lipsiensem d. Anno 1616.* So begehren wir gnädigst/ ihr wollet forthin denen anhaltenden Partheyen in primâ instantiâ keine Citation, inhibition oder etwas anders so dem Process anhängig decerniren, viel weniger einiger Appellation in secundâ instantiâ deferiren, sondern die Partheyen mit den Klagen an unsere ! verordnete Stiffts Regierung/ mit der Appellation aber an uns weisen. Ex quibus satis patet, Curia isti Provinciali nullam prorsus competere Jurisdictionem, & ex hâc ratione etiam ex causæ continentia subditum Episcopatum ad illam trahi non posse, uti supra deductum. Verùm quia sic consuetudine & observantiâ introductum teste Magn. Dn. Carpz. in Proc. jur. tit. 3. Art. 5. n. 24. Berlich. Decis. 220. n. 27. & seqq. frustraneum erit de illo multum disputare.

THESES V.

III. Redditur aliquis Judex competens ex causæ continentia ratione litis pendentia (a) sive
fit

sit incompetens ratione primæ instantiæ saltim
(b) sive in totum.

"Εκθεσις.

(a) Sibi ipsi hic contradicit *Mindanus lib. 3. de Proc. cap. 5.* Dicit enim quod ratione cœpti litigii tale inducatur jus, ut causa alio in judicio ventilari non debeat *loc. cit. §. 2.* Cœptum verò litigium dicit, quando lis contestata est §. 3. Et rursus dicit, quod ratione continentia causæ etiam citatio tantum producat effectum, ut lis alibi agitari non possit §. 6. Quod & verum est *per text. expr. in l. 7. ff. d. judic.* Quicquid igitur sit, si Mindanus per cœptum litigium intelligit litem pendentiam, in eo errat, quod dicit cœptum intelligi litigium post litem contestatam. cum tamen litem pendentia inducatur per citationem *arg. d. l. 7.* Si verò per cœptum litigium litem contestatam, effectus iste de non instituenda actione in alio judicio erit ascribendus litem contestationi, cum tamen sola citatio illud ipsum possit efficere *l. cit. 7. ff. l. f. §. 1. C. d. in jus voc.* Ubi expressè ita disponitur. Meo judicio Mindanus videtur confundere iudicium seu litigium cœptum & acceptum. Cœptum litigium & litem pendentia unum & idem sunt, & inducuntur solâ citatione, quæ basis & fundamentum est iudicii & processus §. f. *J. d. pœn. temer. litig.* Acceptum verò litigium seu iudicium intelligitur, quando lis à parte adversa acceptata & contestata est *l. cum fundus 31. in pr. ff. si cert. petatur. l. unic. C. d. lit. contestat. Dn. Ludwel. in Exercit. Justinian. Exercit. 17. th. 8. lit. C. in f.* Et omnes leges quas Mindanus adducit pro fundanda suâ opinione, litigium sc. cœptum intelligi post litem contestatam, loquuntur de litigio & iudicio non solum cœpto, sed & accepto (à parte sc. adversa) Citatio itaq; inducit

inducit litis pendentiam *Gail. 1. Obs. 1. n. 29. Zang. d. Except. p. 2. cap. 3. n. 2.* & tale jus constituit, ut ibi etiam iudicium finiri debeat *d. l. 7.* Ubi tamen 1. sciendum quod citatio fieri debeat à iudice competente, hoc est, qui tempore insinuationis adhuc est competens, licet ex post facto reus statim alterius fiat fori, uti patet *l. cit. f. §. 1. C. d. in jus voc.* 2. Quod legitima esse debeat, *cap. proposuisti 19. X. d. for. comp. Marant. dist. 6. n. 20.* Nam si citatio illa illegitima sit, tanquam invalida nullum producit effectum, nec perpetuat jurisdictionem, nec litis pendentiam inducit. Invalida verò & illegitima citatio quæ dicatur, huius loci non est examinare, videantur de hæc Autores hinc inde, præsertim *Gail. 1. Obs. 48. 49. 50. 51. 52. & 53.* 3. Quod non obsit licet reus contumaciter emanferit, nihilominus tamen citatio suum sortitur effectum, nemini namque dolus & contumacia sua prodesse debet *cap. 33. in f. X. d. Off. & potest. Jud. del.* Quod verum est, si allegetur litis pendentia ab Actore contra Reum contumacem. E.g. si forsitan postea forum mutaverit, & nolit stare coram primo iudice, ipsi obstabit hæc litis pendentia. Secus si Reus contumax pro se alleget litis pendentiam contra actorem: E. g. Si forsitan postea coram alio iudice competente conveniatur: Tunc enim non gaudebit exceptione litis pendentia propter commissam contumaciam, uti sentit *Zanger. d. Except. lib. 2. cap. 3. n. 18.* Cùm non sit dignus legis beneficio, qui in eam committit.

Jam verò quæritur Quid juris, si citatio vel ab utroque circumducta, vel Actor contumaciter emanferit? Resp. Priori casu, quando ab utroque circumducta est citatio, nullus potest allegare pro se litis pendentiam

D

tiam

tiam, quia uterque contumaciter emanfit, quâ contumaciâ se se indignum reddidit legis beneficio, cujus vigore inducitur litis pendentia. Posteriori verò casu, quando Actor contumaciter emanfit superiorem adhibemus distinctionem. Aut enim pro Actore, aut pro Reo allegatur litis pendentia; si pro Reo. E. g. si forsitan Actor eum coram alio iudice competente convenire velit, locum habebit exceptio *Carpz. in Proc. jur. Tit. 9. Art. 3. 1. 70. 71. contra Zang. d. Except. p. 2. cap. 13. 1. 11. 12.* quia unius contumacia alteri non debet esse damnosa. Si pro Actore. E. g. si forsitan Reus à Iudice citatus, & comparens Actore emanente postmodum mutet domicilium: Tunc Actor non potest allegare pro se litis pendentiam, & Reum ulterius sub prætextu causæ continentiaë coram priori iudice convenire, sed tenetur sequi novum domicilii forum. Sibi enim impuret, quod contumaciter emanferit. Et hanc distinctionem eleganter tradit *Berlich. Decis. 1.*

(b) E. g. si forsitan aliquis personaliter conveniatur in Electoratu Saxonie, qui est *Schiffstassius*, omninò conveniendus erit vel in iudicio appellationis *Ord. Appellat. Rubr. Wer vor unser appellation Gericht geladen.* Vel in curiâ Provinciali, *Ord. Provincialis Rubr. Wer vor das Ober-Hoffgerichte mag geladen werden.* Lite itaque pendente licet feudum alienando mutet forum, & fiat vel *Ambtstassius*, vel in Civitate quadam domicilium constituat, nihilominus causæ finem in priori expectet iudicio, non obstante beneficio primæ instantiæ, quò *Ambtstassius* coram Præfecturâ, & cives coram Senatu ejusdem loci gaudere solent per *Ord. Prov. loc. cit. in verb.* Es sollen aber die andern Edelleute //

leute / Bürger und Bauern vorhin vor ihren Ambtmann/
oder Gerichten in des Ambtes oder Gerichten sie gefessen/
oder vor dem jenigen dem sie unterworffen gehelichen
werden.

(c) Et hoc procedit tam in realibus, quam in per-
sonalibus actionibus. In realibus quidem, si forsitan
aliquis equum furto sibi ablatum in foro rei sitæ vin-
dicet, (quod eum facere posse, etiam si possessor ibi
non habeat domicilium, affirmamus cum *Sicardo in*
l. ult. in f. C. ubi in rem actio) jam verò licet possessor
equum in aliam jurisdictionem ducat pendente lite,
nihilominus tenebitur stare & respondere coram priori
Judice. In Personalibus autem, si quis certi conditione
conventus coram Senatu Lipsiensi, licet postea penden-
te lite mutet domicilium, atque degat sub Ducatu Al-
tenburgico alio prorsus judice, nihilominus tamen re-
nebitur in hâc causâ stare coram Senatu Lipsiensi (in-
competente prorsus aliâs jam facto judice) & ibi litigii
finem expectare. Quam nostram assertionem etiam
extendimus 1. ad casum interponendæ Appellationis.
Tenetur enim etiam stare coram superiore prioris ju-
dicis, si ad ipsum causâ per modum appellationis devo-
luta fuerit, non obstante, quod tempore primæ instan-
tiæ mutaverit domicilium, ac prorsus alio sub judice de-
gat. Estque hujus nostri asserti ratio 1. Quod uni par-
ti facto tertii non possit auferri beneficium appellandi,
quod hoc casû fieret, si mutans domicilium in primâ
instantiâ non teneretur stare coram superiore prioris
judicis in secundâ instantiâ. 2. Quod litis pendentia
includat omnes instantias, quippe quæ non prius finita
dici potest antequam per judicatum definitivum finis

liti imposita fuerit. *arg. l. 30. ff. d. Judic.* 2. Extendimus eam, ut etiam superveniente exemptionis privilegio in cœpto semel litigio sit permanendum, *per text. expr. in l. 7. ff. d. judic.* Ubi nihil interest, licet etiam Clericus fiat lite pendente, nihilominus tenebitur stare coram priori Judice seculari, per universalitatem *l. f. §. 1. C. d. in jus voc. Contra Marantam p. 5. n. 40.* 3. Extenditur hæc conclusio etiam ad hæredes, qui in foro cœpti cum defuncto litigii respondere tenentur, licet alii prorsus sint fori ac conditionis *per. l. hæres absens in pr. ff. d. Judic.* Neque huc aliquid facit opinio *Gailii 1. Obs. 37. n. 8. Mindani lib. 3. d. Proc. cap. 5. §. 7. Maranta p. 5. n. 12. 13.* Qui non, nisi lis contestata fuerit cum defuncto laico, fori competentiam in successorem Clericum derivari autumant. Nos siquidem solâ litis pendentia, quam citatio inducit, contenti, nullam requirimus litis contestationem, *per l. 7. ff. d. judiciis,* quæ satis universaliter loquitur, quod reus in loco cœpti litigii stare teneatur, licet postea alterius fori fiat. Ergò etiam ejus successor, qui est particeps omnis commodi & incommodi, quod defunctus tempore mortis habuit; Nullam proinde hoc casu admittimus distinctionem inter successorem Laicum & Clericum, moti & hoc fundamento *ex l. f. §. 1. C. d. in jus voc.* Ubi Reus post insinuationem citationis Clericus factus nullâ gaudet fori præscriptione; Ergò & neque ejus Successor. Extenditur etiam 5. ad punctum incidens, quod ubi causa principalis pendet, ibi etiam judicetur de puncto incidenti, licet ille iudex aliàs non sit competens istius quæstionis *l. 1. in f. C. d. Ord. judic. Zæf. in comm. ad C. d. tit. in f.* Cùm per minorem causam majori præjudicium fieri non oporteat, sed
major

judice quæstionis principalis pendentis, sed coram Ecclesiastico ventilanda veniret, atque actor interea patienter expectare deberet: Verum pro lubitu hocce jus à Pontificibus est confectum, ad usurpandam alienam jurisdictionem, teste *Sichardo ad l. quoties C. de judic. n. 9.* Proptereaque nullibi ferè in observantiâ est. *Mind. d. Proc. lib. 3. cap. 5. §. 13. in f.*

THESIS VI.

IV. Redditur aliquis Judex competens in unâ actione ex causæ continentiâ ratione interventionis (a) cùm in primâ tum etiam in secundâ instantiâ. (b)

Ἐκθεσις.

(a) Intervenientem non semper actoris partibus fungi, eleganter contra *Roland. vol. 2. Conf. 5. n. 1. docet Mindanus lib. 3. d. Proc. cap. 8. §. 16. Et Gail. 1. Obs. 70. n. 2.* Ubi & ejus argumenta in contrarium satis refellit, ut non opus sit multis hîc disputare, sed L. B. ad Autorem istum remittimus. Dicimus proinde, quod aliquis triplici modo interveniat. 1. Ad assistendum Actori. 2. Propter proprium interesse solùm, quo casu tertius quasi litigans constituitur, vid. *Carpz. in Proc. jur. tit. 4. A. 2. n. 3.* E. g. Si Titius vindicet equum à Mævio, & Sempronius interveniat, dicens ad se spectare istum equum accessionis & consequenter domini jure, hoc loco Sempronius neque actori, neque reo assistit, sed sibi soli istum equum competere dicit. Tale exemplum etiam est in *l. 34. ff. solut. matr.* 3. Ad assistendum reo. E. g. Si venditor interveniat, & defendat emptorem suum

suum conventum propter rem venditam. Quia autem in hoc posteriori casu præcipuè sese offert competentia fori, de quâ nobis hic sermo est, propterea omissis superioribus duobus casibus dicimus, quod interveniens ex parte rei teneatur sequi forum, ubi reus conventus est ex causæ continentia. Licet ille, si rei ipsius partibus fungeretur, ibi conveniri non potuisset, *per text. expr. in l. 49. ff. d. judic.* Et hanc nostram assertionem extendimus i. etiam ad Judicem delegatum, qui, licet ipsi saltem cognitio commissa inter reum & actorem absque mentione interventionis factâ, nihilominus habet cognitionem super jure intervenientis ex causæ continentia: Fungitur enim judex delegatus partibus Judicis delegantis, in cujus locum quasi surrogatus est, & quicquid facit & agit expedire videtur nomine Committentis. *cap. Sanè quia X. d. Off. jud. deleg. 2.* Extendimus etiam ad intervenientem Clericum, & alias personas ratione fori privilegiatas, per generalitat. *l. cit. 49. ff. d. judic.* ubi dicitur quod Privilegium fori ab ista competentia non excuset. Sed quæritur. An interveniens teneatur litigare coram iudice Arbitro? Et Resp. Universaliter affirmando, licet saltim sit Arbitrator compromissarius contra *Mindannum*, qui illud *lib. 3. d. Proc. c. 8. §. 12.* negat, motus præcipuè hisce rationibus. 1. Quod compromissum tanquam res inter alios acta tertio nocere seu præjudicare non debeat. 2. Quod extra territorium jus dicenti impunè non pareatur. 3. Quod grave sit cogi coram iudice non suo litigare. 4. Quod quidam possint hâc ratione collusionem quâdam compromittere, & ita eos, quos interventuros scirent foro suo privare. Verum respondetur ad 1. Quod
com-

compromissum ipsi aded non præjudicet, ut, si forsitan non interveniat, jure suo cadat, sed eatenus ipsi præjudicet quatenus vult intervenire, & intervenientium jure gaudere, necessariò igitur debet consentire in illum ipsum judicem, sine quo non interventio, sed peculiaris Actio futura foret? Ad 2. si hæc regula extendi posset ad casum interventionis, utique in casu *l. 49. ff. d. judic.* ille qui gauderet privilegio fori, atque interveniret ex parte rei, non teneretur intervenire coram judice rei, sed possit causam avocare ad suum Judicem, quod tamen falsum est *per l. cit.* Ergò Regula hæc ad casum interventionis non erit extendenda, sed causa ex jure continentia, quæ peculiare & speciale jus ratione competentia hoc loco constituit, erit decidenda. Ad 3. eandem damus responsionem quam ad secundam rationem dedimus. Ad 4. Non præsumitur ejusmodi dolosa collusio in jure, præsertim inter actorem & reum, neque unquam in casu interventionis attenditur forum intervenientis, & consequenter eo privari non potest. Ad stabiliendam verò nostram assertionem, rationem adducimus 1. Quod compromissa ad similitudinem judiciorum redacta dicantur in *l. 1. ff. de Recept. Arb.* 2. Quod continentia causæ non sit dividenda, sed coram eodem judice finienda *per jur. vulg.* 3. Quod quæstio incidens sequatur quæstionem principalem, *tot. tit. C. d. Ord. Cognit.*

(b) Quia sc. interventio locum habet tam in secundâ, quàm in primâ instantiâ, *Gail. 1. Obs. 122. Ord. Proc. jud. Elect. tit. 15. in pr.* Ergò etiam tam judex ad quem, quàm judex à quo erit competens intervenientis, licet ex parte rei interveniat, & alias non sortiatur forum coram
illis

illis iudicibus. Quia autem hoc loco facta est mentio
secundæ instantiæ *παρέσχυς* quærere lubet. Utrum **Q.**
commissâ vel delegatâ causâ à superiore cum clausulâ:
Appellatione Remotâ, Intervenientem etiam ad eam ad-
strictus sit, ita ut deinde appellare non possit? Resp.
Negat illud quidem *Gail. 1. Obs. 70. n. 12. 13.* & post eum
Mindanus lib. 3. d. Proc. cap. 8. §. 14. Ex his fundamentis. 1.
Quod rescripta ejusmodi jus tertii non lædant. 2. Quod
non extendenda sint ad non nominata. 3. Probare illud
volunt *ex cap. super eo 15. X. d. Off. jud. deleg.* Verùm nos
causæ continentiæ insistentes affirmamus, dicentes in-
tervenientem hoc casu non magis appellare posse, quàm
actor & reus. Quia 1. Causa intervenientis est saltim
accessoria ad causam rei & actoris principalis, igitur
illa non potest esse melioris conditionis *arg. l. 178. ff.*
d. R. J. cap. 21. vers. Sexta nobis X. d. Off. ac pot. jud. deleg.
2. Intervenientem eò ipso, dum intervenit, consentit in ju-
dicem. Ergò etiam in ejus jura & privilegia. 3. Esset
contra totum *tit. C. d. Ord. cognit.* cujus vigore quæ-
stio incidens sequitur quæstionem principalem, quod
non fieret, si intervenienti licitum sit appellare, acto-
ri verò & reo principali interdictum. Ad objectas
verò rationes respondetur. Ad 1. quidem eandem da-
mus responsionem, quam in proximè præcedenti quæ-
stione ad primam objectionem dedimus, & ad illam
brevitatis gratiâ nos remittimus. Ad 2. Rescripta qui-
dem non sunt extendenda ad non nominata, si tamen
causæ continentia illud requirat, omninò conceden-
dum, quippe quæ maximæ solet esse efficaciam. Ad 3.
Quod totum citatum caput non loquatur de interven-
tione, sed prorsus alio de casu, quando sc. Judex, cui à
E Papâ

Papâ commissa est causa appellatione remotâ cogno-
scendi de jure præsentandi, non manet in terminis
commissionis, sed invito Diocœseos Episcopo, qui non
in lite fuit, & ad quem institutio pertinet, procedit
etiam de facto ad institutionem, tunc decidit Papa,
quod Episcopus ille provocare possit, quia non illi,
sed partibus, inter quas causa commissa est, appellatio-
nis remedium est sublatum. Deprehenditur igitur
Episcopum hoc loco non esse intervenientem, sed
prorsus alienam quæstionem de jure præsentandi, à
quæstione de jure instituendi.

Restaret nunc etiam dicendum de tribus postero-
ribus continentia modis, quorum supra thes. 2. mentio-
nem fecimus, quales sunt Continentia ratione rei & ob-
ligationis individua, continentia ratione actionis indi-
vidua, & continentia ratione individua societatis & con-
currentis personæ inhabilis & incapacis cum personâ ha-
bili & capaci. Verum enim verò quia nos hoc loco dispu-
tamus de modis continentia, qui peculiare operantur
forum, hi verò talem non habeant effectum, sed partim
in materiâ libellandi, præscribendi & cæteris suum o-
stendunt usum, partim ad continentiam respectu per-
sonarum & rerum diversi fori, si interdum peculiare
forum exinde oriatur, referri possint, igitur silentio eos
præterimus, & progressum facimus ad continentiam
causæ ratione diversarum actionum.

THESIS VII.

In diversis actionibus redditur aliquis Ju-
dex competens ex ratione continentia (a) in Re-
conventionem. (b)

Ex Jois.

(a) Esse enim duas actiones conventionem & reconventionem vel inde patet, quod in utraque peculiari opus sit libello, & utraque persequatur id in iudicio, quod sibi debetur, quæ est communis actionis definitio *l. 41. ff. d. O. & A. in pr. J. d. Actionibus*. Unde patet falsam esse eorum opinionem, qui statuunt reconventionem esse magis exceptionem, quam actionem; ipsâ enim exceptionis definitione, quæ est actionis exclusio, refelli poterunt, quippe cum conventio & reconventio simul in iudicio eodem ventilari possint ac debeant, nec una alteram excludat.

(b) Continentiam hoc loco intelligimus quatenus fundatur in ipso conventionis & reconventionis processu, non in ejus materiâ seu objecto petitionis. E. g. Titius conveniens Mævium ex mutuo, Mævius illum volens reconvenire ex vendito, causa dicitur continens, non quod causa mutui & venditi sint continentes, sed quod iudicium ipsum conventionis & reconventionis sit continens; Unde & facilè responderi potest, si quis opponet *l. 10. de judiciis*, & subsumat ex *autb. Et consequenter C. d. sentent. & interlocut.*: illaturus exinde, quod hoc in casu non possit esse continentia, quia Reus actionem suam contra actorem coram alio quam conventionis iudice, finito sc. conventionis iudicio non per modum reconventionis instituere potest? Respondetur enim supra dicto modo, nos quærere hoc loco continentiam non tam in ipsâ materiâ conventionis & reconventionis, quæ sæpissimè jure Civili diversissimæ sunt, quam in formalitate Processûs sc. in ipsâ conventionem & institutionem reconventionem. Et hæc ita obtinent jure Civili, jure

verò Constitutionum Electoralium insimul requiritur, si locum habere debet reconventio, ut causæ sint connexæ etiam ratione materiæ petitæ, *Constit. Elect. 7. p. 1.* hoc est ex eodem contractus instrumento & fundamento natæ esse debent, docente *Dn. Carpz. ad d. Constit. def. 11.* In tantum quidem, ut ejusmodi causæ connexæ non separatim peculiari à Reo exhibito libello per modum conventionis tractari possint, sed una necessariò judicio reconventionis reservanda *d. Const. 7. in verb.* Und solches auch dahin verstanden werden soll/ob gleich der Besklagte ein sonderlich libell übergeben und seine Widersklage unterschiedlich neben der Klage anstellen wolte / sondern es soll der Kläger vermöge der Sächsischen Rechte disfalls auff die Widerklage zu antworten nicht schuldig seyn. Quod verò causas separatas attinet, licet Reus eas jure civili etiam separatim per modum conventionis tractare possit, interdictum tamen ipsi est tam diu, donec liberatus fuerit à petitione actoris, *cit. Artb. Et consequenter C. d. Sentent. & interlocut.* Quod jure *Constit. Elect.* immutatum est: eæ enim, licet in illis reconventio non obtineat, separatim tamen coram judice competente tractari possunt, non expectato fine actionis à priori actore institutæ *d. Const. 7. §. f. in verb.* Eine iede vor ihren ordentlichen Richter zugelassen werden/ und eine die andere nicht irren noch hindern.

(c) Reconventionem itaque institui debere coram eodem judice, & in genere adversus quemcunque, qui primum Reum convenerit ex *l. 14. C. d. sentent. & interlocut. & l. 22. ff. d. judic.* constat. Et hanc nostram assertionem ampliamus procedere 1. Licet actor conveniens sit persona quædam illustris. E. g. ponamus Principem
Im-

Imperii, qui semper gaudet privilegio Austregarum
Ord. Cam. p. 2. tit. 2. convenisse aliquem nobilem co-
ram Principe suo, cujus Jurisdictioni est subjectus, vel
civitatem quandam Imperialem immediatè coram Ca-
merâ Spirensi. Nobilem verò vel civitatem istam etiam
habere causam, quam adversus Principem Actorem mo-
vere possit, & quidem per modum reconventionis, se-
quitur omninò ex nostra thesi, quod non obstante Au-
stregarum instantiâ Princeps iste in judicio reconventio-
nis Nobili coram suo Principe & Civitati Imperiali co-
ram Camera Imperialis judicio immediatè respondere
teneatur. Est enim hoc Austregarum Privilegium Prin-
cipibus & quibusdam statibus Imperii indultum peculia-
ri quadam dispositione *Ord. Camerae* cujus constitutio
ad casus in eâ non expressos extendi minimè debet per
verba *expr. in d. Ord. Cam. part. 3. tit. f. pr.* Wir setzen /
ordnen und wollen / daß in allen und ieden Fällen die nicht
sonderlich und ausdrücklich in dieser Ordnung des Ges-
richtlichen Process. halber versehen / das gemeine Rechte
statt haben / und vermöge desselben gehandelt und procedi-
ret werden soll. Non itaque dubitamus circa præsentem
casum observari debere regulas juris Civilis, quod vel
exinde etiam patet, quod Princeps Imperii conventus
ab aliquo coram Austregis, Actorem coram eodem ju-
dicio reconvenire possit *per text. in ord. Cam. p. 2. tit. 4.*
§. So dann die Partheyen in denen obgemeldten Artia-
ckeln soll das Wiederrecht statt haben. Ergò etiam Prin-
ceps alium conveniens tenebitur stare coram iudice
conventi in judicio reconventionis, ex illo vulgat. juris.
Quod quisque juris in alium statuerit eo ipso jure uta-
tur, 2. Ampliamus procedere etiam si Actor sit persona,

quæ foro privilegiato gaudere solet. E. g. Clericus conveniens Laicum coram iudice seculari, tenetur stare in iudicio reconventionis coram iudice Laico per generalit. *auth. & consequenter C. d. sentent. & interlocut. Maranta in spec. Aur. part. 4. dist. 6. n. 44. Myns. cent. 2. obs. 47. Chil. König in Proc. iudic. part 3. cap. 1. n. 15. Zæf. ad decretal. d. mutuis petit. n. 4. Perez. in C. d. sentent. & interlocut. n. 19. cap. f. X. d. iudic. Quicquid in contrarium dicat Hunnius ad *Auth. Habita C. Ne filius pro Patre cap. 2. quest.**

Q. 3. Sed quid si Laicus habeat causam contra Clericum, nolitque libenter agere coram iudice Ecclesiastico, & proinde dolosè Clericum vel injuriando, vel turbando compellat, ut illum (Laicum sc.) coram iudice seculari propter istas injurias conveniat, quo deinde Laicus Clericum propter prætensionem suam possit trahere ad iudicium seculare, per modum sc. reconventionis? Et respondetur, si appareat Laicum ejusmodi illicitâ cautellâ dolosè usum fuisse, Clericus minimè trahendus erit ad iudicium seculare; cùm nemini dolus suus patrocinari debeat, & ad hanc responsionem etiam inclinatur *Speculat. in tit. d. reconventionem §. nunc dicamus vers. sed pone.* De studioso autem, an ille non obstante privilegio *Auth. Habita C. ne fil. pro patre* teneatur respondere in iudicio reconventionis coram iudice rei conventi, quæritur? Et respondetur, si in *d. Auth.* accuratius inquiramus, inveniemus quidem eam maximè generalem, in verbis; Si litem eis quispiam super aliquo negotio movere velit, ita ut non malè ad reconventionem, quæ nihilominus actio est, quàm reliquæ actiones, aliquis illam extendere videatur. Verùm enim verò si ex alterâ parte intuemur leges, quibus etiam
univer-

universaliter cavetur Actorem sequi debere forum Rei
ut in *l. f. C. ubi in rem actio*. statim deprehendimus, illas
non obstante earum universalitate absque expressâ
mentionem factâ minimè extendendas esse ad iudicium
reconventionis, utpote in quo peculiare aliquid consti-
tutum est. Ex quibus etiam colligimus d. Authenticam
loqui saltim de iudicio conventionis, & quia reconven-
tionis nulla expressa facta est mentio, ad eam non exten-
dendam esse contra generalitatem. *Auth. Et consequenter*
C. d. Sent. & interloc. Neq; obstat, quod in contrarium in-
clinantes opponant causam qualificatam, dicentes, quod
si reconventio locum habere debeat, causa ita qualificata
esse debeat, ut tractari possit coram Iudice conventionis;
jam verò causa studiosi Rei (ratione reconventionis)
ita qualificata sit, ut non possit tractari coram alio quàm
suo iudice. Respondetur, licet non negemus, quod cau-
sæ qualitas interdum impediatur iudicem conventionis
in iurisdictione ratione reconventionis. E. g. causa ma-
rimonialis, feudalis, (ut infra latius dicetur) notandum
tamen, quod ista qualitas proficisci debeat ab ipsâ cau-
sæ naturâ, non verò à personâ rei. Nam si à personâ rei
æstimanda esset illa qualitas, nulla persona reconven-
ta privilegiata teneretur stare in iudicio reconventionis,
quod tamen falsum, uti jam supra deductum de Principe
& Clerico. Quia autem testante *Magn. Dn. Richter* ad
Auth. habita C. Ne filius pro Patre pag. 162. contrarium
est in communi Dd. opinione, idque observantiâ pra-
cticâ, quæ pro lege habetur, cuique inhærendum, com-
probetur, facile calculum nostrum addere possumus,
utpote qui magis de studiorum incremento, quàm de-
cremento solliciti esse debemus. 3. Ampliamus proce-
dere

dere etiam si iudex conventionis sit iudex delegatus, nihilominus ille cognoscat in causa reconventionis, cum ex ratione continentiae, tum etiam vigore *cap. 1. X. d. mutuis petit.* quicquid in contrarium dicat secundum Canonistas *Mindanus de Proc. lib. 3. cap. 6. n. 11.* Et hanc nostram opinionem etiam amplectitur *Gail. 1. obs. 35. in f. Maranta in Speculo Aureo part. 4. dist. 6. n. 11.* qui quidem hanc positionem in quibusdam casibus limitat, quas limitationes, quia non sunt tanti ponderis, nos non admittimus, sed in conflictu ad objectiones respondebimus. 4. Ampliamus, quod si prior causa commissa fuerit remotâ appellatione, etiam in causa reconventionis appellare non liceat. Cùm enim actoris & rei eadem sit conditio, utique uno eodemque jure circa appellationis remedium uti debent, & sicut desiderat actor, ut sibi juxta mandatoris rescriptum justitia fiat appellatione remotâ; eodem modo reconvenienti debet in suâ justitiâ respondere, *per verb. expr. in Q. cap. 2. X. d. mutuis petit.* Sed quæritur an etiam coram Arbitro locum habeat reconventio? Et respondetur: Communiter distinguere solent inter arbitrum juris & arbitrum compromissarium. De Arbitro juris affirmant, de Arbitro vero compromissario negant, ex hac ratione, quod in arbitro compromissario cesset ratio *l. cum Papinianus 14. in f. C. d. sentent. & inter loc.* uti vult *Maranta in Speculo aureo part. 4. dist. 6. n. 14.* 2. Quod arbitri judicare non valeant, nisi de his tantum, super quibus in eos extitit compromissum, & consequenter coram iis locum non habeat reconventio *per text. expr. in cap. cum Dilectus 6. Extr. d. Arbitr.* quam etiam opinionem post *Berlich. part. 2. Concl. 22. n. 48.* approbat *Magn.*

*Magn. Dn. Carpz. part. 1. const. 7. Def: 5. Zoef. in comment. ad Decret. d. mutuis petit. Perez. in C. d. sentent. & interloc: n. 18. Myns. cent. 4. obs. 30. 5. Ampliamus, ut etiam Judex appellationis possit fieri judex competens reconventionis, ad cujus opinionis declarationem prius dicemus, quid jure communi; Deinde etiam quid jure Saxonico obtineat. Jure communi quidem distingvendum est ex mente *Mindani lib. 3. de proc. cap. 6. §. 15. & Marante in speculo aureo p. 4. dist. 6. n. 15.* Utrum à definitivâ, an verò ab interlocutoriâ appellatum fuerit; Si à definitivâ appellatum fuerit, locum non habet reconventio coram judice appellationis, quia veræ reconventionis requisitum est in jure civili, ut pari passu cum conventionis ambulet, & proinde ante litem contestatam, teste *Marantâ loc. cit. n. 5. per D d. comm:* instituenda erit, si igitur aliquis latâ jam sententiâ definitivâ & sub secutâ appellatione velit primum instituere reconventionem, utiq; non erit vera reconventio. Sed quid si conventio & reconventio debito modo instituta fuerit simulq; agitata, à sententiâ verò conventionis definitivâ appellatum fuerit, an etiam causa reconventionis devoluta videbitur, ita ut judex à quo in illa ulterius procedere non possit? Et respondetur: Affirmat illud quidem *Mindanus lib. 3. d. Proc. cap. 6. n. 16. contra Speculat. d. reconventionis §. videndum enim f.* ex hâc ratione, quod causæ continentia, quæ in primâ instantiâ utramque simul tractare voluit, neque in secunda eas dividere patiatur. Verùm paulò accuratius in rei veritatem inquirentes negativam cum *Speculatore* veriorem putamus. Licet enim causæ continentia suadeat, ut utraque actio coram uno Judice terminetur, non tamen tanti ponderis est, ut appellatio interposita à definitivâ conventionis*

F

tionis

tionis extendatur etiã ad reconventionem, utpote in
quã appellans nondum gravatus est; non entis autem
nullas esse affectiones, nemo est qui dubitat. Accedit
secundo, quod reconventio semel coram primo iudice
pendens dicatur, & consequenter ex ratione litis penden-
tiã, absque expressã interpositã appellatione ad superio-
rem iudicem non trahenda. 3. Notum est, quod si actio
ex pluribus capitibus & punctis constet. & ab uno puncto
appellatum fuerit, remedium illud devolutivum ultra
illud punctum non extendatur, sed reliqua in suo vigo-
re maneant, & in iudicatum transeant, ergò si à senten-
tia conventionis appellatum fuerit, illud ad reconven-
tionem non erit extendendum. Et hæc de eo casu, quan-
do à definitivã appellatum fuit. Si verò ab interlocuto-
ria appellatum, & sententia correctoria secuta fuerit,
quæritur quid juris in casu nostro? Et respond: Jam non
disputamus utrum appellatio jure civili à sententiã in-
terlocutoria sit admittenda; sufficit enim quod jure Ca-
nonico admittatur *cap. 12. X. d. appell. recip.* & ita in terris
Imperii quibusdam in casibus observetur teste *Gail. 1.
Obs. 131. Berl. p. 1. Concl. 50. n. 41.* Sed ad propositam
quæstionem breviter saltim respondemus; quod si post
interpositam talem appellationem reus conventus acto-
rem ante litem contestatam velit reconvenire; illud
fieri debeat coram iudice ad quem seu Appellationis.
Quia 1. hæc appellatione tota causa etiam raione ma-
terialium ad iudicem ad quem devoluta censetur, cum
iudex à quo appellantem ulterius gravaturum esse præ-
sumatur, teste *Gail. loc. cit. n. 2. Magn. Dn. Carpzov. in
Proc. jur. tit. 18. Art. 6. n. 41. & seqq. 2.* Quia reconven-
tus hoc casu nondum se tueri potest exceptione litis pen-
dentiã; ut in superiori casu. Et hæc jure communi ob-
tinent.

minent. Jure Saxonico etiam si à sententiâ definitivâ appellatum fuerit, nihilominus dicendum videtur, quod coram iudice ad quem possit institui reconventio, quia illa eo jure post sententiâ demum definitivam instituenta venit, & ita non amplius obstat ratio, quæ secundum jus civile obstat, cujus vigore reconventio pari passu cum conventionione ambulare debet. Quæret tandem lubet: **Q.** Utrum actor iudicio conventionis renunciare, & ab institutâ actione desistere possit, ut evitet competentiam iudicis reconventionis? Et respondemus distinguendo. Aut actor præventus est reconventionione ante renunciationem, aut non præventus est. Priori casu licet desistat ab actione institutâ, non tamen isto facto reconventioni ex ratione litis pendentis præjudicium generare potest. *arg. l. 7. ff. d. judiciis.* Posteriori verò casu, quando nondum præventus est, neque litis pendentia ratione reconventionis introducta, actorem istâ renunciatione iudicem reconventionis evitare posse certò statuimus, quia reus nullum ulterius habet prætextum, cujus vigore actorem ad iudicium reconventionis trahere velit.

Notanda tamen ad hanc nostram Thesin hæc est limitatio: Si sc. causæ qualitas patiatur, ut conventionis Iudex cognoscat super causa reconventionis. E. g. Conventus coram iudice Seculari non potest actorem coram eodem iudice reconvenire in causâ spirituali, quæ spectat ad Jurisdictionem Ecclesiasticam, cum causæ & litigii qualitas non patiatur, ut ventiletur coram iudice seculari *Maranta p. 4. dist. 6. n. 24.* Quanam verò causæ sint, quæ suâ naturâ non ratione personæ reæ (E. g. Si Clericus sit persona reæ ratione reconventionis, & reconveniendus actione mutui, utique ex supra-

F 2

dictis

dictis rationibus tenetur stare coram iudice reconventionis seculari, licet aliàs conveniendus coram iudice Ecclesiastico) spectant ad jurisdictionem Ecclesiasticam, sive litigantes sint Laici, sive Clerici hinc inde apud Auctores videri potest, vid. *Marantam loc. cit. dist. 11.* Sunt verò præcipuè sequentes. Causæ decimarum, Matrimoniales, beneficiorum Ecclesiasticorum, juris Patronatus, dispensationum, & aliæ de quibus videri potest *Dn. Carpz. in Jurispr. Eccl. lib. 2. per. tot. Et Ord. Eccles. Elector. Sax. tit. 7.* Was Sachen in das Consistorium gehörig. Hæcque brevia dicta sufficiant de iudice competente ex causæ continentia ratione reconventionis, totam namque reconventionis materiam tractare, neque animus fuit, neque ratio instituti admisit. Pergimus jam ad iudicem competentem ex causæ continentia ratione possessorii & petitorii.

THESIS VIII.

II. Redditur aliquis Iudex competens in diversis actionibus (a) ex causæ continentia ratione iudicii possessorii & petitorii.

Ἐκ θεοῦ.

(a) Miramur cur *Mindanus in Tract. suo de causæ continentia* non constituerit in his duobus iudiciis peculiarem causæ continentia modum, cum ille expressè loco exempli in *l. 10. C. d. iudic.* adducatur. Nos itaque autoritate hujus legis annitentes peculiarem in petitorio & possessorio causæ continentia constituimus modum. Diximus autem in Thesi, quod se se maximè in diversis offerat actionibus: sunt enim diversæ actiones petitorium & possessorium iudicium. Non equidem negamus
cumulari

cumulari posse possessorium & petitorium unâ in actione
(de quo incidenter forsitan paulò inferius) quia verò isto
modo nullus redditur iudex competens ex continentia
possessorii & petitorii, sed actio aut in foro rei sitæ, aut
domicilii instituenda venit, propterea peculiarem con-
stituimus casum, in possessorio & petitorio iudicio se-
paratim & successivè instituto, quo peculiare exinde
extrahamus competens forum, quod aliàs non esset
competens, si continentia causæ illud non suaderet, de
quo casu infra *lit. b.* Jam verò quia supra mentionem
fecimus cumulationis possessorii & petitorii iudicii,
quæritur 1. An cumulari possit petitorium & possessio-
rium in uno libello? Resp. Quidam universaliter ne-
gant, quidam affirmant. A parte negantium est *Gipha-
nius ad l. 3. C. d. Interd.* à parte affirmantium *Hotom.
illustr. quest. 31. Fachineus controvers. l. 8. cap. 6. Mynsing.
cent. 6. obs. 39. & alii.* & pro fundanda sua opinione, quam
tam de possessorio retinendæ, quam recuperandæ &
adipiscendæ habent, allegant *l. Naturaliter 12. §. Nihil
commune ff. d. acquir. possess.* ubi dicitur. Nihil commu-
ne habet proprietas cum possessione, & ideò non dene-
gatur ei interdictum uti possidetis, qui cœpit rem vin-
dicare. Non enim videtur possessioni renunciâsse, qui
rem vindicavit. Verùm hisce non obstantibus distin-
guendum putamus inter possessoriũ retinendæ, recupe-
randæ & adipiscendæ possessionis. Prioris possessorii reti-
nendæ sc. non admittimus cumulationem cum petitorio
in uno libello, posteriorum verò duorum possessoriorum
recuperandæ sc. & adipiscendæ admittimus cumulatio-
nem per *l. cum fundum 18. §. ff. d. vi & vi arm. cap. pastoralis
5. X. d. caus. possess. & prop.* in quâ sententiâ etiam est *Hartm.
Pistor. p. 4. quest. 18. n. 5. Menoch. remed. tertio retined. possess.*

n. 531. Val. Riem. Ill. 90. Decad. 14. quest. 6. Ratio autem cur cumulationem retinendæ possessionis & petitorii non admittamus est: Quia qui agit ex interdicto uti possidetis in puncto turbatæ possessionis, affirmat penes se esse possessionem, per verb. expr. in l. 1. in pr. f. Uti possid. Qui verò agit rei vindicatione, non nisi contra illum potest agere, qui habet facultatem restituendi possessionem l. officium ff. d. R. V. §. 1. f. d. action. & ita necesse habet fateri penes alium, non se ipsum, esse possessionem. Jam verò si quis cumularet interdictum retinendæ & rei vindicationem, simul diceret se possidere & possessionem penes alium esse, ac contraria allegaret, cum quibus minimè audiendus arg. l. 1. C. d. furt. Ad oppositam verò l. 12. ff. d. A P. responderetur, d. l. non loqui de cumulatione Interdicti uti possidetis vel utrobi, cum rei vindicatione in uno libello, sed loquitur de tali casu quando actor prius separatim egit in petitorio atq; libellavit in isto, postmodum, si forsitan ipsi novæ sufficientes superveniant probationes possessionis, potest etiam agere ex interdicto uti possidetis, vel pro ratione rei mobilis ex interdicto utrobi, in puncto sc. turbatæ possessionis, ita ut causa petitorii interea quiescat. E. g. Titius egit contra Mævium actione confessoria, quia ipsi defecerunt tempore institutæ actionis probationes possessionis, lite pendente superveniunt ipsi probationes, quia forsitan testes, quibus actus possessorios servitutis docere potest, peregrè abfuerunt, & jam reversi sunt, unde Titius vult agere peculiari iudicio contra Mævium in puncto retinendæ, quaritur quid juris? Et respondet cit. l. 12. illud ipsum Titium facere posse, nobis in nostrâ responsione prorsus non contraria.

(b) Quia supra lit. a. diximus, peculiarem proposituros esse casum, quo aliquis alienum & peculiarem non obser-

observato domicilii & rei sitæ foro sortitur judicem competentem ex causæ continentia ratione possessorii & petitorii judicii, igitur talis esto. Titius egit contra Mævium coram judice Sempronio in judicio possessorio ad recuperandum equum, & pronunciatum est, Reum tam diu manere debere in possessione, donec Titius de dominio in petitorio judicio fidem faceret, quæ sententia transit in judicatum, quo facto Mævius possessor mutavit domicilium, atq; sese commisit jurisdictioni Claudii equum unà secum auferens, Titius igitur acturus in petitorio contra Mævium, quæritur, an illud coram Claudio, ubi equus situs est, & Mævius jam domicilium habet, instituere teneatur? Et respondetur quod non: Licet enim Mævius non amplius sit sub jurisdictione Sempronii, neq; equus litigiosus ibi situs sit, nihilominus tamen ex continentia possessorii & petitorii judicii poterit agere coram judice Sempronio per *l. 10. C. d. judiciis cap. 1. X. d. caus. poss. & propr.* & si ultrò agere velit Actor coram Claudio, poterit repelli exceptione litis pendentia; neque enim in Arbitrio Actoris, neque Rei positum est, causæ continentiam dividere *arg. l. 10. C. d. Judic. Menoch. de Arb. judic. qu. cas. 371. n. 3. & seqq.* Ratio autem decidendi in eo consistere videtur. Quod Judex per tractatum possessorii cognitionem & informationem capiat de toto negotio, ita ut ex judicio possessorio facilè informetur, quid debeat decidere in causâ proprietatis: Finis enim possessorii est principium petitorii, & cognitio unius affert intelligentiam alterius. *Gail. 1. Obs. 32. n. 11.*

Corol-

Corollaria.

1.

Actio Pauliana est actio realis, & loquitur de ea § 6. J. d. Act. contra Ludvv. dissert. 16. th. 2. lit. g.

2.

Servitus altius tollendi nulla datur, quæ in faciendo consistit, contra Cæpoll. de Serv. Urb. Præd. c. 26.

3.

Nulla est pugnancia inter l. 1. §. 2. ff. d. Reg. Caton. & l. 41. §. 2. ff. d. Leg. i. Illa loquitur de adjecta conditione, hæc verò non.

4.

Ususfructus causalis non datur, contra Hunnium. in tract. d. Usufr.

5.

Cautius agit malæ fidei possessor, qui totalem patitur dejectionem, quàm qui statim contra turbationem experitur.

F I N I S.




Ko 2262

ULB Halle

3

006 834 68X



V017
m





22

I. N. J.
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
IUDICE COMPE-
TENTE EX CAUSÆ
CONTINENTIA,

Quam
EX DECRETO
Nobilissimi Jurisconsultorum Ordinis in almâ Salanâ,
PRÆSIDENTE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSUL-
TISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
DN. ERNESTO FRI-
DERICO SCHRÖTERO, J. U. D.
Hæreditario in *Wickerstett*/ Prof. Pandectarum Publ. celebra-
tissimo, Consiliario Saxonico eminentissimo, Curia Provincialis,
Scabinatûs, & Facultatis Juridicæ Assessore gravissimo,
Patrono ac Promotore suo æviternum colendo,

PRO LICENTIA
Summos in Utroque Jure honores ritè capeffendi,
publicæ disquisitioni subjicere
JOHANNES GEORGIUS GASTELL
FRANCKENBERGA MISN.

Add. Novembr.

H. Lg. G.

Typis SAMUELIS KREBSII,
ANNO M D C L XI

Wa. 100.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches